

Q. D. B. V.

AVGVSTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

PRINCIPI IVVENTVTIS PRVSSORVM

FRIDERICO GVILELMO

CUM

AVGVSTISSIMA CONIVGE AC DOMINA

VICTORIA BRITANNICA

FAVSTIS NVPTIIS LONDINI RITE CELEBRATIS

FELICITER REDEVNTI

LAETABYNDI ACCLAMANT

MAGISTRI ATQVE ALVMNI

GYMNASII VESALIENSIS.

MDCCLVIII.

Fallor? hiberna nive jam soluta
Purpura an veris subito renidet?
Gratias Horae reserantve junctae
Limina coeli?

Surgit Eois bona lux ab oris,
Clarius praeter solitum refulgens,
Spondet et certam populo salutem
Auspice REGE.

Ecce, **FRIDRICVS CVILELMVS** almam
 Conjugem totoque animo cupitam
 Ad Lares ducit patrios, reuectus
 Alite fausto.

Nuper amplexu tenerum nepotem
MATER AVGVSTA et **GENITOR** tenentes,
 Nunc **NVRVM** optatam roseo in iuventae
 Flore salutant!

Sic novo fulgore micat **PARENTVM**
 Purpuratorum celebrata virtus,
 Claret ac bello pariterque pace
 Gloria gentis.

O diem laetum! populo adstrepente
 Nec semel dicente: **Beatus ILLE**,
 Cui comes **VICTORIA**, **MATRE** grata
 Gratior **IPSA**,

Dulcius qua nil meliusve nobis
 Fata donavere, **Deo** annuente,
 Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
 Tempora priscum!

Spreva dum fratri sociata **Havello**,
 Leniter lambens monumenta regum,
PRINCIPI gratans **DOMINAE** que cantat
 Prima hymenaeos,

Accolas **Rhenus** genialem ad aram
 Convocat, priscae fidei tenaces;
 Vndecim **Schilli** comitum ad sepulcra
 Luppia plaudit.

Martis arx **Vesalia** et hospitalis —
 Exsules olim patriae **Britanni**
 Nominis testes, socia hac recepti
 Comiter urbe —

Publicos plausus geminat precesque
 Nuncupans fidas, dociles modorum
 Evocare ausa est placidis **Camoenas**
 Tiburis umbris.

Jam patet templum: properat juvenus,
Fortiter doctis operata ludis,
Voce concordi, ducibus magistris,
Fausta precari:

Stirpis heroeae generosa proles,
PRUSSIAE PRINCEPS COLVMEN que, salve,
Docte sic Musas utriusque linguae,
Martis ut artes!

Salve et ANGLORVM DECVS atque NOSTRVM,
Insita virtute beans maritum,
O diu DIVAE maneat LVISAE
Dulcis imago!

Quos Amor constansque Fides jugavit,
Sera felices hilaret senectus,
Detur et VOBIS similem parentum
Cernere prolem.

Si Deus nostris precibus favebit,
REGIAM GENTEM pietate fultam
Sospitet semper faciatque ab omni
Parte beatam.

Majus hinc late decus emicabit
Patriae; terras nova per remotas
Fama manabit: Jovis ales audet
Tangere solem!

